
Titulus VIII.

249. DE OFFICIO SANCTÆ MARIE IN SABBATO.

Rub. 1. *In omnibus Sabbatis per annum extra Adventum et Quadragesimam, ac nisi Quatuor Tempora aut Vigiliæ occurrant, vel nisi fieri debeat de Feria propter Officium alicujus Dominicæ aliquando infra Hebdomadam ponendum, ut in Rubrica de Dominicis dictum est; et nisi fiat Officium novem Lectionum, vel de Octava Paschæ et Pentecostes, semper fit Officium de sancta Maria, eo modo quo fit de Festo simplici, quemadmodum circa finem Breviarii disponitur. De festo autem simplici, in Sabbato occurrente fit tantum commemoratio.*

2. *Cum vero supradictis diebus fieri non potest Officium de sancta Maria, nulla etiam fit commemoratio de ea propter Sabbatum; sed tantum in Semiduplicibus (quando ejus Officium parvum non dicitur) fit consueta ejus commemoratio per annum cum aliis Suffragiis positis in Psalterio post Vesperas Sabbati.*

3. *Ejus Officium in Sabbato incipit Feria VI, ad modum Festi simplicis, a Capitulo, et terminatur ad Nonam Sabbati. Si autem Feria VI occurrat Officium novem lectionum, in Vesperis fit tantum commemoratio de Sancta Maria, cum Antiphona, Versu et Oratione, quæ habentur in Officio ejus in Sabbato, nisi illud Officium novem Lectionum sit de eadem beata Maria, quia tunc nulla alia commemoratio de ea facienda est.*

4. *Ad Matutinum, post Invitatorium et Hymnum de sancta Maria, dicitur unum Nocturnum cum duodecim Psalmis ferialibus, ut in Psalterio, Versus de sancta Maria, prima et secunda Lectio ex Scriptura de Tem-*

pore occurrente; tertia Lectio et alia omnia tam in Matutino, quam in Laudibus et Horis, ut in Officio sanctæ Mariæ in Sabbato assignantur.

5. *Dicuntur Preces Dominicæ ad Primam et Completorium, et fiunt Suffragia consueta de sancto Joseph, de Apostolis et Pace, et tempore Paschali sola commemoratio de Cruce, ut in secunda Feria post Octavam Paschæ. Post Nonam nihil fit de ea, nisi consueta ejus commemoratio cum aliis Suffragiis, quando dicenda sunt in Officio de Dominica.*

In pluribus locis ex indulto Apostolico recitatur officium conceptionis B. M. V. in sabbatis, uti concessit Bened. XIII, pro omnibus regnis, dominiis et ditionibus Cæsareæ majestati subjectis extra Italiam.

Sabbatum dicatum est B. Mariæ V.: 1°: quia, cum reliqui dies secundum ordinem creationis sex dierum distribuuntur, septimus dies, quo Deus requievit ab universo opere, destinatus fuit in honorem B. M. V. quæ præ omnibus sanctis post Deum peculiari cultu est honoranda: 2° quia sicut sabbatum est janua et introitus ad diem dominicam, ita B. M. V. est nobis porta et janua cœli (1).

Titulus IX.

DE COMMEMORATIONIBUS.

250. Officia dicuntur concurrere et occurrere; scilicet officium, quod fit hac die, dicitur concurrere cum officio sequentis diei: adeoque concurrentia vespere tantum res-

(1) Vid. Durand. rat. div. off. lib. IV, c. I, n. 31, etc.